

Si duobus viris jurgantibus, alter ex illis vulnus alteri ita infixisset, ut decumbere cogere, ac deinde ita à vulnere convaluisset, ut scipione factus incedere potuisset, tunc qui injuriam intulerat, impensis in medicum, atque operis alteri perfolutis, absoluebatur [g]. Qui captivum suum occidisset, crimine homicidii reus habebatur; si verò ita vulnerasset, ut ad unum & alterum diem vitam produceret, impunis abibat herus: ipse enim mancipium possidet, ejusque dispendio perit. Si duobus rixantibus, mulier foeta casu transiens, fortè percussa, abortum patitur, tunc foemina superstita, reus multam arbitrio viri, & selectorum ad eam rem virorum, persolvat: si obierit, vitâ pro vitâ, oculo pro oculo, dente pro dente crimen expiabit. Herus oculum, si vè dentem mancipio executiens, illud manumittat (b). Si foemina viro suo rixante accurrens, adversarii pudenda manu contigerit, manus abscessione multabitur (i).

Bos, qui hominem cornibus trasoderit, lapidibus opprimetur, ejusque carnibus abstinentum (k); Dominus verò, cui petalans bovis ingenium innoverat, nec illum antea incluserat, vel morte damnabitur, vel requisitam multam persolvat. Mancipio illata à bove mors, bovis ejusdem lapidatione, & 30. siclorum pretio hero persoluto expiatur. Si bos bovem transfodisset, occisi carnes pretiumque superstitis (qui vendendus erat) inter utriusque dominos æquè dividebatur: Domino tamen, cui sui bovis petulantia innotuisset, neque periculo eundem claudens in bubili occurrisset, defunctum animal, superstes alteri cedebat. Si putei defossos non occluderetur, indeque bos, sive asinus in illum incidens peririsset, domini ejusdem putei dispendio peribant; ad quem tamen defunctum animal pertinebat.

Adulterii crimen tam in viris, quam in foeminis capitale (a); desponsæ verò si quis vitium intulisset extra urbem, procius tantummodò interibat; intrâ urbem uterque; foemina enim vim causari non poterat, quippè quæ clamando sese subducere valuisset.

Incestus, sodomia, & à quibus natura abhorret, crimina, capitali poenâ puniebantur (b). In prostituentes pudicitiam tam viros, quam foeminas gravissimâ poenâ animadvertentur (c); atque infamè lucrum ad Templum inferre nefas (d). Si quis foemina vitium intulisset, illam ducere cogebatur; dissentiente tamen puellæ patre, dos vitiatâ tantum persolvenda. Imò & ad multam 50. siclorum patri puellæ persolvendam, & ad nuptias procius adgebatur, si re ad Judicium delatâ, vis ab illo aliqua illata fuisset probaretur [e]; hoc verò conjugium per repudium solve- retur. Viris ad uxorem menstruatam accedere nefas, quod quidem crimen ad Judicium delatum capitale erat (f).

Legis quidem præcepta homini in officio continendo, quoad ea, quæ extrinsecus parent, lata sunt; non ita tamen, ut cordis desideria negligat; alterius namque bona,

& foeminas concupiscere inhibiturum est. Post repudium (quod quidem toleratur) si foemina alteri nuperit, iterum cum illa conjugium necesse prior vir prohibetur (g). Turpia illa, à quibus natura maxime abhorret, his fortasse verbis per ænigma prohibentur (h): Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est; non sereves vineam tuam altero semine: non arabis in bove simul & asino; non induetur vir veste virili, ac vicissim.

De furto nihil non vetitum (i), licet non iisdem omnia poenis prohibita. Liberum hominem in mancipium furto vendere, capitale erat (k): bos sublatus, quintuplo; ovis quadruplo restituenda (l); furto tamen extante, duplo tantum. Fur noctivagus, suffodiens parietes deprehensus, impune occiditur: diurnum verò interficere capitale est. Si fur bona non habet, vendatur [m]. Qui alieno agro, si vè vineâ damnum intulerit, si vè suâ culpâ menses, si vè manipulos alterius igne corruperit, de suo agro, & vineâ relarriet. Depositi custodis fraude sublatus, si fraus in Judicio probetur, duplo restituendum; si dolo abfuerit, custos absolvitur. Si cui pecus alterius creditum est, ejusque incuriâ, seu dolo perierit, si vè furto sublatus sit, ipsius dispendio peribit: ab hostibus sublatus, si vè si fortè occubisset, re in Judicio sacramento probatâ, custos absolvitur; si tandem à bestiis voratum fuisset, disceptatæ pecudis reliquias ad Dominum delatis, infons idem custos judicatur. Alia verò est ratio de commodato, & conducto; conductor enim & commodatarius absolvitur, si coram domino animal perierit; secus ad restitutionem adigitur.

Fœnus à suis exigere Israelitis nefas, cum externis toleratur (a). Pignus si creditor à debitore exegerit, extra fores domus illius opperiat quidquid ab altero produceretur (b); à molis tamen, quibus triticum teritur, à vestibus viduæ accipiendis abstineat; vestem autem, si vè culcitram acceptam, saltem ante vesperam restituat, ut frater nocte dormiens foveatur (c). Mercenarius diurnis ante noctem pretium persolvendum (d). Divites mutuum dare pauperibus recusantes, quod ex illis nihil sperent lucelli, damnantur (e); mutuum enim opem sibi Israelitæ præstare debent, ut nemo indigere cogatur. Alieni agri termini ne transferantur (f). In colligendis messibus, & uvis non ita seduli sint messorum, ut racemos & spicas pro indigentibus, qui ponè illos consequuntur, nullas relinquant; & si fortè manipulus in agro per oblivionem relictus fuerit, deinde non requiratur. In conviviis religiosi pauperum, viduarum, orphanorum, advenarum, ac Levitarum ratio potissimum habenda: Advenam non contrisabis ait Moyses (g), advena enim & ipsi fuistis in terra Egypti... scitis enim advenarum animas. Neque in fratres tantum & amicos, sed in adversarios quoque benevolè esse animo Deus jubet, omnem ultionis exigendæ curam sibi reservans (h). Hinc si adversarii jumentum sub sarcinis fatiscat, manus il-

g Deut. 24. 1.
h Deut. 22. 5. 9. 10. 11. Levit. 19. 19. 20.
i Exod. 20. 15.
k Exod. 21. 16. & Deut. 24. 8.
l Exod. 22. 1. &c.
m Exod. 22. 4. 5.
a Exod. 22. 25. Levit. 25. 37. Deut. 24. 19. 20.
b Deut. 24. 6. 10.
c Exod. 22. 26.
d Deut. 24. 14. 15. Levit. 19. 13.
e Deut. 15. 4. 8.
f Deut. 19. 14.
g Exod. 22. 21. & 23. 9. Levit. 19. 33. 34. Deut. 10. 18.
h Levit. 19. 18. Deut. 32. 55.

illi relevando apponenda: si pecus illius erabundum offenderat, ad caulas reducendum (i). Quæ tamen de Chananais dicta non intelliguntur, ab Israelitis ultionis divinæ ministris, igne & aquâ interdicendis (k). Racemos si vè spicas fortè occurrentes colligere ad velendum fas est; ad asportandum, nefas (l).

Penes Israelitas mancipiorum duplex erat genus; ex Hebræis nempe, & advenis. Hebræi anno Sabbathico manumittebantur; cæteris æterna servitus (m). Hebræi verò qui servitute libertati prætulissent, Legis privilegio coram Magistratibus renunciabant; domum deinde ab hero redacti, cum ad fores pervenissent, subulâ auribus perforabantur. Unâ cum conjuge & filiis manumittendus, si captivitatem unâ cum illis subivit; si verò in captivitate conjugem ab hero accepit, solus ipse manumittitur. Si vir Israelita, egestate cogente, libertatem suam externo vendiderit, à propinquis redimendus; si verò illi tenuis substantiæ sint, qui que Israelita redimere possit; vel ipse tandem servus pretium pro se restituat. A quocumque tamen solvatur, integra pecunia hero restituenda, deductis tamen annis in servitute exactis, & supputato temporis spatio usque ad annum Jubilæi; Israelitis enim simul, & extraneis vetitum, ultra Jubilæum captivos, necnon alienas hæreditates diutius retinere. Si mancipium ab hero durè habitus, in ditionem Israeliticam confugerit, quamcumque tandem urbem elegerit, tunc ibidem agere permittatur (a). Filium si quis à patre emerit, vel ipse, vel filius ipsius in conjugem inferioris ordinis illam habeat; fecis, eamdem anno Sabbathico libertati restituens, 30. siclis juxta Rabbiorum doctrinam donabit. Hanc verò filiam semel emptam aliis vendere nefas, neque eidem filia ultra annum Sabbathicum servitute suam producere permittitur. Si emptor servam filio suo nuptum tradidisset, integrum illi erat eidem filio novam conjugem adjungere, rato semper, ac firmo prioris foeminae jure. Uxori semel emptæ vir domum, victum, vestitum, & si quæ alia conjugem decent, præstabit; in quibus si plus nimio parcius fuerit, foeminae servitute solvere, ne expectato quidem anno Sabbathico, licet.

Homini in homines bene afficiendis, humanitatis sensus ipsa vel in bruta per Legem insinuatur. Hinc die Sabbati quies non hominibus tantum, sed & jumentis indicta (b). Pascua toto anno Sabbathico omnibus pervia (c), ipsis, ut videtur, etiam belluis agrestibus. Plura etiam in Lege præscripta sunt de non coquendo hodo in lacte matris suæ (d), de non capiendis in nido pullis, si vè ovis unâ cum matre (e), de non mutilandis brutis (f), de non alligando ore bovis triturantis (g), de non jungendis simul jumentis diversis generis (h). Eisdem humanitatis sensus inducunt Leges, quibus de furto obloquutio interdictur, si vè ne coram cæco offendiculum ponatur [i]. Non omnibus indiscriminatim animantibus

Israelitis vesci, quin & omnibus æquè avibus, & piscibus concessum; erant quæ impura, erant etiam quæ pura apud illos habebantur. Ex quadrupedibus, quæ tantum saltem bifida ungue non essent, nec ruminarent, impura (k). Ex piscibus, qui pinnullis, & squammis carerent, abijciendi; ex avibus quoque, & reptilibus plura hujus generis suppetunt. Porro animantia illa, dum vivebant, contingere nullâ Lege interdictum erat; mortua verò si quis attigisset, inquinabatur, nec nisi ad vesperam, lotis prius corpore, & vestibus, contracta macula eluebatur. Nervo femoris ejusdemque animantis etiam puri vesci minimè permittitur, quod Jacobi femur Angelus contigerit (l), uti & à morticinis, si vè à bellua carnivora disceptis abstinentum (m). Sanguis, & adeps eodem jure vetiti cenfebantur (n).

Masculorum circumcisio die octavâ à nativitate, Abrahamo olim præcepta ad omnes Israelitas capitali poenâ prorogata est (o). Legales fordes, quæ ab usu rerum sacrarum arebant, si vè quæ ab hominum commercio homines interdicebant, non unius erant rationis. Cadaver contigisse, si vè in eadem cum illo domo egisse, funeri interfuisse, virum per hebdomadam inquinabant, qui dein aquâ expiationis sub capitali poenâ lustrandus erat [p]. Lepra, gonorrhœa, menstrua non morbum tantum, sed & legalem formem inducebant, quandiu ægritus non convaluisset (q); post morbum verò sacrificium pro expiandis iis criminibus, quæ imprudenti eo temporis spatio contigissent, indictum erat. Si quis inquinatum, si vè ab illo contactum attigisset, diurnam maculam contrahebat [a]. Puerpera, quæ masculum edidisset, 40. diebus; quæ verò foemina, quinquagenis impura habebatur (b); quo temporis spatio neque res sacras contingere, neque ante Templi atrium se sistere permittebatur. Eo verò elapso, agno, si vè turture, si vè pullo columbarum, (quod pauperularum sacrificium erat) in sacrificium oblato expiabatur.

Exteri quibus circumcisionis nulla erat ratio, ab Israelitis impuri habitus sunt, adeò ut rem inquinatam innuere volentes, incircumcisam dicerent. Chananæi, & Amalecitarum anathemati devoti (c); Eunuchi, nothi, atque prostitute filii ab Ecclesia Dei usque ad decimam generationem (d), nempe à consortio privilegiorum Israelis, exclusi sunt. Idem de Ammonitis, & Moabitibus in Lege cautum est [e]; cum quibus etiam populis fœdus, & amicitiam inire vetitum. Idumæi, & Egyptii, illi quod Esau Jacobi germanum patrem habuissent; hi quod Israelitas tandiù jure hospitii apud se habuissent, post tertiam generationem recipiebantur.

Dolo & fraude in commerciis removen- dis, plura sancita sunt. Vendendo emendoque, exigendo, atque solvendo exacta mensura adhibeatur (f). Senioribus obsequium præstandum, neque coram illis assidendum (g). Anfulæ ad quatuor angulos pallii ab Israelitis assuendæ, uti & vestium extre-

i Exod. 23. 4. 5. Levit. 19. 17. Deut. 21. 1. &c.
k Exod. 22. 32. 33. & 34. 12. Num. 30. 51. 52. Deut. 7. 2. 16.
l Deut. 23. 24. 25.
m Vide Exod. 22. 1. 6. Levit. 25. 39. &c.
n Exod. 22. 27. 28.
o Levit. 23. 15. 16.
p Num. 5. 2. & 19. 11. &c.
q Levit. 13. 45. 46. & 15. 2. 19.
a Ibid. V. 4. 20.
b Levit. 12. 4. &c.
c Exod. 17. 14. Deut. 25. 17.
d Deut. 23. 1. 2.
e Deut. 23. 1. 6.
f Levit. 19. 15. Deut. 25. 13. 14.
g Lev. 19. 32.

h Num. 15. 38. Deut. 22. 12. i Num. 27. 5. 6. & 26. 3. &c. k Num. 27. 8. &c.

l Deut. 25. 5. &c.

m Num. 6. 14.

n Deut. 22. 14. 15.

o Deut. 22. 15. 16.

a Num. 33. 13. & 34. 13.

b Deut. 22. 8.

c Levit. 27. 2. &c.

extrematibus fimbriæ, quod eorum aspectu Legis memoria refricetur [b]. Deficientibus tantummodo masculis, foeminae in jus hæreditatis vocantur (i): quibus autem foeminis hæreditas obvenerit, virum ex aliena Tribu ducere prohibentur, ne Tribuum possessiones turbentur (k). Defuncto sine liberis fratri fratres succedunt, eorumque defectu patrui; sin minus, sanguine propinquiores.

Decedente sine liberis fratre, frater superstes relictam ex illo viduam ducet, ut extincti memoriam in prole conservaret (l): qui si conjugium renuisset, ad portas urbis à foemina adductus, calceo exuebatur, atque in ore expuebatur, his verbis adjunctis: Sic fiet homini, qui non adificat domum fratris sui. Sinistrâ de fide conjugis opinione à viro conceptâ, aquæ ad eam rem destinatae judicio illam subdebat (m); Deo Hebræorum proterviae aliquid indulgente, quod majora mala vitarentur. Eadem etiam indulgentiâ permissum est, ut conjux uxorem absque iudicis virginitatis deprehensam (n) judicio sistat: si tamen accusatio falsa probaretur, virgas, sive fustes accusator subibat, pretio insuper 100. siclorum persoluto. Viro duplici conjugio copulato, jus primogenituræ filio natu majori acquisitum, in alterum ex prædilecta conjugæ natum transferre, sive invisa conjugis natum eodem primogeniti jure privare interdicitum (o).

Totâ Chanaanitidis regio pro numero Tribuum, singulorumque contribulium, æquis portionibus dividenda erat (a). Aedium culmina muri loricâ ambienda, quod in tectis ad modum solarium complanatis, inambulantis periculum vitaretur (b).

Vota non unius erant generis apud Hebræos: sive enim se, vel alios devovebant [c]. Quo voto adstricti, pecuniâ redimebantur, variâ illâ quidem, pro sexûs atatisque discrimine. Viris enim ab anno ætatis 20. usque ad 60. multa 50. siclorum, foeminis 30. indicta, A quinto usque ad 20. viri 20. siclos; foeminae 10. pendebant. Pauperiores pro facultatum modulo, ad Sacerdotis arbitrium. Animal sacrificio aptum, voto consecratum, immolandum omnino, neque à volente redimi poterat: impurum verò si offerens redimere velit, pecuniam quæ Sacerdoti videbitur, & quintam insuper partem adjiciat. Aedes prius æstimandæ, deinde Sacerdotis lucro vendendæ; quas si Dominus sibi habere velit, supra pecuniam æstimatam, quintam adjiciet. Ager voto consecratus, à Sacerdote de more æstimandus, supputatis redditibus, & spatio temporis usque ad Jubilæum; liberum deinde est offerenti illud sibi emere, si pretio quintam addiderit: si verò alieno vendatur, neque in Jubilæo ad veterem possessorem regreditur; cum enim sanctus sit ager, &

Sacerdotibus acquisitus, Sacerdoti in Jubilæo restitendus. Primogenita ad Dominum spectant, quorum proinde per votum consecratio supervacanea esset.

Ea, quæ anathemati devovebantur, nullâ concessâ redimendi potestate, animalia quidem neci tradenda fuerant, aedes verò & possessiones Sacerdotibus acquirebantur (d). Decimæ ex frugibus & pecoribus, soluto pretio, & quinta insuper parte, redimi poterant. Vota statim & plenâ fide implenda sunt (e). Filia sub patris disciplina, si voto se obstrinxit, & pater sciens filium, voti rea est; renuente patre, voti religione nequaquam tenetur. Conjugio copulatae votum, viro intra diem dissentiente, solvitur; si alterâ die vir propositum suum significaverit, votum nihilo fecius firmum ratumque est. Repudiata, & vidua, voti, si quo se obstrinxerit, rea est.

Nazaræi genus sunt virorum Deo devotum, abstinentiam à vino mera eisque liquoribus profidentes, quibus intonsa est coma, totoque Nazaræatus tempore ad funera non accedunt (f). Elapso voti tempore, ante fores Templi à Sacerdote sistebantur, statimque agnus in holocaustum, ovis pro peccato, aries in hostiam pacificam offerebatur. Victimis immolatis, Nazaræi coma abradebatur, igne altaris absumenda: dein traditum sibi à Sacerdote armum arietis, atque panis & laganae oblationem Nazaræus iterum Sacerdoti restituebat, coram Domino elevandas. His peractis, vini usus Nazaræo permittebatur. Si voti tempore fortè coram eo vir aliquis occubuisse, iterum ceremoniæ Nazaræatus ab exordio repetendæ erant, atque insuper duo columbæ in expiationem offerendæ.

Cum tota antè Chanaanitis idololatriæ superstitione teneretur, quo tempore ab Hebræis occupata est, omnia sanctæ religionis monumenta, quæ unquam occurrerent, subverti, lucos, aras, petras, columnas, Deorum simulacra Deus iussit (a). Sibi verò primum aram ex glebis ad radices Sinai excitari (b) voluit; deinde alteram ex ligno, excavatam, arcisque laminis superindutam, & in Tabernaculo collocandam, quæ cratem aneam ad medium cavi suspensam sustinendo igni continebat (c). Porro ad illam per gradus ascendere vetitum, ne fortè inter ascendendum ea detegerentur in Sacerdotibus, quæ intuitum pudorem offenderent (d). Judæis Terræ promissionis limites ingressis, iussit Deus alias ex Tribubus montem Garizim ascendere, ibique Legem Dei feruantibus benedictiones precari, alias verò montem Hebal tenentes, dira imprecari in Legis prævaricatores (e). Ara deinde ingens erigenda calce oblita, in qua Lex Dei inscriberetur. Porro hoc præceptum à Josue impletum est (f).

d Lev. 27. 28.

e Num. 30. 34.

f Num. 6. 1. &c.

a Lev. 16. 1. Deut. 13. 2. 4. b Exod. 20. 24. 25.

c Exod. 27. 8.

d Exod. 20. 26.

e Deut. 11. 29. & 27. 23.

f Josue 8. 30. 31.



DISSERTATIO DE DIVORTIIS.

Quæcumque gentes connubia jure tantum politico spectantes perinde habuerunt ac meram & simplicem pacificationem, inter virum & mulierem initam, quæ corporum & bonorum communione mutuo confociarentur; illæ sanè omnes, quemadmodum mutuo consensu constare illa, ita divortium, quod connubii societatem abruptit, mutuo partium recedendum consensu, sive prioris assensus revocatione ab utraque simul, vel ab una tantum ex paribus factâ, induci posse autamarunt. Ex hoc autem apud eas gentes illud consequebatur, ut divortium, tanquam naturali jure singulis permisum, licitum sibi quacumque demum ex causa ducerent; quo semel facto utrique parti nova inire connubia, novisque legibus alterum sibi conjugem adsciscere integrum erat. Eò tandem licentiæ venerunt, ut alteri ab altero recedere, illo etiam invitò & renuente fas esse dicerent, quod sanè citrà æquitatis dispensandum nunquam fieri potuisse constat; nisi eâ tacitâ lege pacta connubialia sancirentur, ut sive uni tantum ex contrahentibus, sive utrique pro arbitrio recedere facultas esset.

a Matrimum est maris & foeminae conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens, divini humanique juris communicatio. L. 1. de Rit. Nupt. & can. 1. caus. 27. q. 2.

b Gen. 21. 14.

rum turba secuta est, totam murmuris Aaronis & Mariæ in Moysem [c] causam tribuunt repudio, ab eodem Moyse dicto filia Regis Æthiopiæ, (Tharxim appellat) de quo conjugio Josephus (d); alii rejectam ab eo Sephoram malunt. Nos tamen neutram credimus, neque in exemplum divortii venisse unquam Moysem in animum inducere possumus; quamvis enim Sephoram ad parentem Jethro remisisset (e), id tamen ad tempus factum est, atque veniens in castra Jethro uxorem ad virum non reduxit tantum (f), sed recedens apud illum reliquit. Fateamur tamen oportet ante Legem divortia tum apud alios cum apud Hebræos obtinuisse; cum Jesus Christus permisa fuisse à Moyse divortia affirmaverit, quod Judæi obfirmato essent in illa animo (g), eorumque inhibitione mala pejora timeret.

Serius planè Legiflator Legem de divortii tulit, non enim prius rogasse eam legimus, quam cum paulò ante obitum orationem in Deuteronomio relata ad populum haberet (h). En illam. Si acciperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam sceleratam, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudii... vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino.

Quid sit autem illud: Propter aliquam sceleratam; Hebr. ad literam; Propter aliquam nuditatem; verbum nuditatis, seu verecundiæ, inter veteres, sicut etiam recentiores Interpretes ambigitur. Nuditatis nomine in S. Scriptura plerumque foedum aliquid & pudori contrarium designatur. Turpitudinem matris tuæ non discoperies, ait Moyse Levit. 18. 6. &c. Prohibe pedem tuum à nuditate, ait Jeremias (i); & alius Propheta (k): Ostendam Gentibus nuditatem tuam. Septuaginta dictum exponunt de turpi aliquo actu. Tertullianus legit (*): Impudicum negocium; in quem etiam sensum inclinantes optimi quique Commentatores, eâ tantum ratione divortia permitti Judæis autumant, si adulterium, vel aliquid impudicum commissum fuisse, non levi quodam rumore & conjecturâ tantum aliqua, sed certis argumentis constaret; pro sola enim suspitione fidei in conjugio violatæ, aquas Zelyptie destinatas legimus.

Veterum Israelitarum mores huic inter.

c Vide Num. 12. 1.

d Antiq. l. 2. c. 5.

e Exod. 4. 26.

f Exod. 18. 6.

g Matth. 19. 8.

h Deut. 24. 1. 4.

i Jerem. 2. 25. k Nahum 3. 5.

* Cont. Marc. 1. 4.